

כשס יהוֹת

THESES,

De

GENUINA METHODO PHI-
LOSOPHANDI EXPERI-
MENTALI & MATHE-
MATICA,

Quas,

Cum venia & consensu Amplissime
Facult. Philosoph. in Regia
Academia Aboënsi,

Sub moderamine

CLARISSIMI VIRI

MAG. NICOLAI
GÄSSLÖM

Prof. Mathem. Reg. & Ordin.

Eruditorum censuræ modeste sub-
mittit

ISRAEL ESCHOLIN,

Austro-Finlandus.

In Audit. Maximo, die 22 Aprilis,
MDCCXXVI



THESES. I.

Uo omnino sunt

 fontes, Ratio & Experi-
entia, e quibus scientia
omnis de corporibus naturalibus hau-
rienda est. Quarum haec eorum exi-
stentiam & vires ostendit; illa, in cau-
sas viriumque leges inquirendo, ad u-
sum humani generis omnia refert.

III.

Hinc ad tres commode revocari pos-
sunt classes, qui scientiam naturæ
tractandam suscepérunt. Alii, colle-
ctis observationibus nonnullis commu-
nioribus, qualitates specificas & oc-
cultas singulis rerum speciebus tri-
buerunt, ex quibus deinde opera-
tio-

3

tiones & effectus singulorum corporum, ignota quadam sibi, ut nobis, ratione deducunt; unde vero hæ naturæ & qualitates pendeant, quæque earum causæ, vires & leges sint, non docent. Quamobrem historiam qualemcumque naturalem, & vocabula quædam necessaria, minime vero Philosophiam tradidisse centendi sunt.

III.

Alli, laudabili prorius instituto, umbram hanc terminorum, sub qua, haud aliter ac eclipsi quadam, in densissimis versabantur tenebris mortales, rejicientes, statuerunt varietatem omnem corporum oriri ex particularum componentium simplissimis quibusdam affectionibus; verum ubi licentiam sibi sumunt fingenendi quascunque ignotas partium figuræ & magnitudines, incertosq; situs & motus, quin & fluidæ quædam, occulta & incredibili non minus, quam incerta vi & subtilitate, praedita ad lomnia & figmenta delabuntur.

IV.

Mediam vero, eamq; regiam & ge-

nui-

nuinam, ad sanctiora naturæ adyta te-
nent viam recentiores nonnulli Philo-
sophi, qui observationibus & experi-
mentis jugiter instituendis naturam,
almam illam matrem, tentandam esse,
nec quidquam, nisi sub experientiæ
& Mætheleos incudem revocatum,
earumque legibus conforme, accipi-
endum esse, optimo contendunt jure.

V.

Cum igitur non, nisi experientiæ au-
xilio, referari possint naturæ clau-
stra; hoc opus hic labor est, ut assidue
non magis, quam accurate in viscera
eius inquiramus. Et cum duplii ratio-
ne natura se nobis conspicuendam ex-
hibeat: una prout est libera & soluta,
secundumq[ue] opus sibi relictæ sponte pera-
git; altera vero, qua non nisi coacta &
varie tentata arcana prodit, & quasi
invita ad confitendum adigitur; e re
esse judicamus, ut observationes, quæ
prioris commatis, ab experimentis,
quæ posterioris sunt, rite distinguan-
tur.

VI.

Observationes iterum sunt, vel vul-
gares & ubiq[ue] obviæ, quibus con-
stat

§

stat innumerās existere res naturales,
singulas peculiarib[us] suis qualitatibus
prædictas, quales sunt, quæ in cœlo &
terra, in genere animalium & ina-
nimatum, ubique locorum inveni-
untur: vel observationes strictius sic
dictæ, quæ majori cum deliberatio-
ne instituuntur; ita ut Ratio hic sensi-
bus multum subveniat, vel certo or-
dine illos dirigendo, vel infirmitatem
eorum & insufficienciam, variis sub-
fidiis & artificiis, perficiendo. Tales
sunt observationes Anatomicæ ani-
malium & plantarum, cœlestes per
tubos & alia instrumenta, Meteorolo-
gicæ, Microscopicæ, Barometricæ, &
similes.

VII.

Ad alias vero proprietates & vires
corporum profundius latitantes
detegendas, tenenda est via experi-
mentorum, quorum ope exploramus,
& oculari demonstratione ostendimus,
quid & quantum corpus naturale, in
certo statu, quem artificis arbitrium
hunc in finem disponit, agere vel pa-
ti possit. Talis status est, quando cor-
pus in certo loco, situ & tempore con-
sti-

stituitur, in quo naturaliter vel nunquam, vel non facile, aut tantum casu reperitur; quando magnitudo, figura, motus, & reliqua, varie mutantur & disponuntur: quando corpori qualitas quædam sub certo intentionis & remissionis gradu additur, dum aer e.g. vel aqua extra ordinem calefit, lignum humectatur, metallum levigatur, aut quacunq; tandem ratione quodvis alius corpus artificiose alteratur: quando deniq; corporum affectiones, non tantum singulæ sigillatim, sed binæ, ternæ & plures junctim copulantur.

VIII.

Hinc, qui regulas combinationum non ignorat, hand dubitabit, vel unius sic corporis statum innumeris variari posse modis; ne quid dicam de pluribus, & compositis: adeo ut infinita hinc leges observationum & experimentorum non possit non exsurgere, cui rite colligendas, atq; in justos fasciculos combinandas mortalium omnium ætas viretque, si vel singuli exquisitissimæ industriae essent, non sufficiunt. Unde quid de lectariæ philosophia studio sentiendum sit, nobis non monentibus, per se patet. IX.

IX.

Quamobrem eorum temeritatem & audaciam non possumus non recidere, qui ex cogitatione pro arbitrio variis elementis & hypothesibus universalibus, sibi non aliter, ac si Deo a consilis fuissent, satis magnifico, sed non minus irrito labore, assumunt, naturæ phænomena singula angusti sui cerebelli limitibus inclusa comprehendere, eorumq; abditas venditare caussas. Præsertim, cum, natura tot compediis constricta, innumeræ, sed parum fructuofæ, hinc ad scholas proveniant contentiones, ad usum vero humani generis nihil. Vera autem rerum physicarum elementa & principia ignorari, nec unquam ab hominibus investigari posse credimus ; ut omnipotentem & providam ubique Dei manum deprehendere liceat.

X.

Prudentior itaque & magis ex usu humani generis est eorum philosophandi ratio, qui operam omnem in eo collocant, ut, collectis observationibus & experimentis quamplurimis,

Mathematum ope in rationem & proportionem effectuum naturalium inquiramus, atque hinc leges certas virium & operacionum, quantum experientia admittit, condant, quarum ope, non tam vana curiositas mentis, quam usus vitae, & artificia mirifice provechi possint. Sic casu quodam experientiae inventum accepimus pulverem pyrum, lentium vitrearum & magnetis usum, ut innumera alia, quibus carere humana vita nequit, taceamus.

XI.

Hinc Mathesos varius & multiplex usus, in scientia naturali, manifestus est, cum in variis instrumentis inveniendis & elaborandis, pro observationibus & experimentis rite instituendis, tum in quantitate virium naturalium componenda & indaganda, inque conclusionibus hinc rite firmandis & demonstrandis, ad usum vitae, & naturae explicationem, artificiorumque commendationem. Talia sunt, quæ physici argumenti præcipit Mathesis in Mechanicis, Aerometricis, Opticis, & Hydrostaticis, ut alia præterea quam plurima, quæ his pagellarum cancellis includi nequeunt.

S. D. G.

